ב"ג"ה

DISSERTATIO H

DE

CIRCUMC NIBU

QVAM

ADSPIRANTE DIVI

ET

ANNUENTE INCLU

PHILOSOPH

IN

ACADEMIA

PRÆSES

M. SVANTE GUST

Roneb. Livonus, SS

&

RESPONDI

CHRISTIANUS MEIB

Ad Diem XXII. Nove

Placidæ Eruditorum συ

H. L. Q.

LIPSI

Typis CHRISTOPHOR

ב ג״ ו

…O HISTORICA,

DE

…MCELLIO-
…BUS,

QVAM

…E DIVINA GRATIA

ET

…CLUTA FACULTATE

…OSOPHICA

IN

…IA LIPSIENSI,

…RÆSES

…GUSTAVUS DIETZ,

…ius, SS. Theol. Stud.

&

…ESPONDENS

… MEIER, Reichenb. Variscus,


…XII. Novembr. MDCXC.

…um συζητήσει submittunt


L. Q. C.

…IPSIÆ,

…OPHORI FLEISCHERI.



Procemium.



FAcilè mihi perſuadeo fore, quibus incongruum atqve abſurdum videatur, noſmet diſſertatiunculæ huic noſtræ Academicæ deſtinâſſe id genus Sectarios, qvorum omnis memoria, qvin imò ipſa nomina qvibusdam ſepulta jam oblivione eſſe videantur. At enim ſpero me hæc ipſa ſentientes faciliores mox nacturum judices, ſi pagellas has qvales qvales vel per tranſennam inſpexerint, ex iisdemqve, ſi candidi velint eſſe Judices, deprehenderint, ejusmodi facinora, qvæ â Circumcellionibus perpetrata invenient, tantosqve errores, qvos ipſos foviſſe videbunt, ne â ſuperioris ævi qvidem temporibus, qvibus Anabaptiſtarum ſectæ exortæ ſunt, adeò eſſe alienos, ut, nominibus ſaltim vel tectis vel mutatis, eosdem, ſi non omnes, plerosqve ſanè recurrere fateri cogantur, qvi, niſi & illos ſilentii potius involvendos eſſe peplo, qvam tangendos, facile nobis, ſpero, aſſentientur. Qvamobrem ne diutius in limine hæreamus, nos qvam pertexendam ſuſcepimus avidè aggredimur telam, qvod dum facimus, ut Numen ἀριστομέγιστον clementiſſimè nobis vires ad id ſufficientes largiatur, devotè imploramus!

SYNOPSIS MATERIÆ:

§. I.


Vam aliàs solennem habere solent, qvi accuratiori res pensitant trutinâ, examinandi antè penitiusq; evolvendi nominis rationem, qvam ad rei ipsius accedant ventilationem; (Est enim *nomen qvasi novimen*

vimen imago qvædam, qvâ qvid noscitur, instrumentumque cognitionis, judicante sic Magno Scaligero de causis Lingv. Lat. L. 4. C. LXXVI. pagin. 165.) illam ipsam hoc locô nobis vel maximè necessariam esse, qvis non videat? tum qvod evolutâ voce lumen qvoddam materiæ huic, qvam ventilandam suscepimus, videtur accessurum, tum qvòd prætermissâ nominis ratione, existimamus fore, ut res ipsa lateat obscuriùs.

§. 2.

Dictos autem fuisse *Circumcelliones* à *Cellis*, *circum* qvas vagabatur vesana Schismaticorum cohors, tum ipsius vocis svadet Etymologia, tum viri qvi historicam hanc attigere materiam, subinde indigitant: ita enim Philippus Priorius Annot. ad L. 3. Opt. Milev. adv. Parmenian. p. 71. *Circumcelliones, ut docet August. in Psalm. 132. sic dicti quòd circum Cellas vagarentur*, & dilucidius aliquanto Augustinus L. 1. contra Gaudent. §. 28. *Qvis nescit hoc genus hominum maximè in agris territans, ab agris vacans & victus sui causa, Cellas circumiens rusticanas, unde & Circumcellionum nomen accepit, universo pene mundo famosissimum, Africani Erroris opprobrium:* nec non *Lambertus Danæus* ad Augustin. Libr. de hæresibus ad Qvodvultdeum C. LXIX. annot. 3. p. 322. *Circumcelliones dicti, qvod in agris cellas quasdam & tuguriola veluti austeram Eremitarum vitam imitantes haberent, in qvibus habitabant primum soli, postea vero cum qvibusdam mulieribus. Sed illinc in homines suæ doctrinæ adversarios impune irruebant* &c. Apparet igitur, *Circumcelliones à Circum cellas vagando*, sic fuisse appellatos. Ipsius verò Cellæ, qvæ Circumcellionibus nomen dedit, originationem commodissimam suppeditat Becmannus *orig. lat. lingv. in hac voce*, qvi derivat ab Hebræo כֶּלֶא qvod *claustrum, carcerem*, nec non *co-*

ercitionem notat & à radice suâ כְּלָא *inclusit, continuit* &c. descendit: Salsè enim inqvit Scaliger: *Aliqui, inter qvos Varro, malignè eruerunt omnia è Latinis, Græcisqve* (pace tuâ addam Summe vir) & Hebræis *suas invidere origines* l. c. L. I. C. XXIX. pag. 69.

§. 3.

Cùm verò exploratum mihi sit, ipsam *Circumcellionum* vocem non tantùm in significatione, qvæ sic audit, *propriâ*, pro istis nimirum sectariis, qvi seculô post Christum natum IV. vixerunt atqve insanierunt, vulgò accipi, sed & esse qvosdam Lexicographos non ignorem, qvi vocem hanc sensu *appellativo* explicuere, scilicet pro *Erronibus*, qvi in certis hinc inde sedibus vagantur, qvos significatione germanicâ reddunt Wanderer/ Irrwische/ Landfahrer/ Vaganten/ Terminirer/ etc. Dubium hîc nolim relinqvere Lectorem Benevolum, hoscine (& qvis negaverit uberrimam eorum qvoqve, qvæ de his dici possent, dari seriem atq; segetem? an illos dissertationi huic destinaverim; Schismaticos enim illos & IV. seculi Hæreticos hâc potissimum vice, de qvibus istæc dissererem, elegi.

§. 4.

Nosse autem & illud in antecessum juvabit, sæpè nominatos hosce Schismaticos non eôdem semper apud *Autores*, penes qvos de iis aliqvid est legere, venire Circumcellionum nomine, leviusculâ qvippe factâ per syncopen immutatione *Circelliones* dici consueverunt Philipp. Prior. l. cit. & hi sunt qvos Donatus Bagajensis Episcopus contra Paulum & Macarium Constantini in Africam Legatos incitavit, eosdem *Agnosticos* appellans, juxta Optat. Milevit. adv. Parmenian. L. 3. p. 71. cui tamen voci rectè Philippus Prior. substituit *Agonisticos*, qvam Circumcellionum denominationem, ceu qvæ fundamentum

in

in re habeat, apud alios qvoqve invenire est. 'Affectabant autem hi ipsi qvoqve *Sanctorum* κατ' ἐξοχὴν sic dictorum appellationem, Ducesqve suos *Duces Sanctorum* nuncupabant. Sic enim Optat. Milev. *Maxido & Fasir ab ipsis insanientibus Circumcellionibus Sanctorum Duces appellabantur*, loco jam citato. Qvâ ipsâ denominatione qvàm longè fuerint indignissimi, ex seqventibus fortè constabit.

§. 5.

Ut vero ἀπὸ βαλβῖδος, qvod ajunt, rem ordiamur, ipsa Circumcellionum origo nobis erit ab ipsis incunabulis deducenda; qvam autem, ut eò penitiùs perspiciamus, ipsa Donatistarum (ex his enim orti sunt Circumcelliones, illorum hi acerrimi fuerunt defensores, aut si cum Phil. Priorio dicere mavis, grassatores) historia paucis erit delibanda.

§. 6.

Dicti autem sunt *Donatistæ* (inanis enim est Scioli illius Grammatici Cresconii altercatio cum Augustino, *Donatianos* eos potius appellandos esse volentis, vid. Aug. contra Crescon. L. 2. c. 2. cit. Baron. Annal. Eccles. T. 5. ad A. C. 405. n. XLII. p. 258.) aliàs *Montenses* â montibus, in qvibus extra urbem degebant, nec non *Campitæ*, qvod cœtus suos in campis colligerent, juxta Hieron. in Dialog. adversus Luciferanos; ipsorum Autor & præcipuus Schismatis hujus incentor fuit *Donatus* non Carthaginensis, sed à casis nigris Episcopus ex numidia oriundus, à qvo Majorinus primus Donatistarum Carthagine Episcopus ordinatus est, qvem qvidem â sede Casarum nigrarum ad Carthaginensem translatum, Majorino pôst in Schismaticâ factione successisse, contra Albaspinæum obs. 3. in Opt. qvi id contra Augustinum asserit, negat Nat. Alexand. Dissert. I. in histor. Eccles. sec. 4. p. 2.

seq.

ſeq. ubi etiam Albaſpinæi reſpondet objectionibus, ab altero tamen Donato, qvi Majorino ſucceſſit, eos potius dici, eò qvod eloqventia ſua hanc hæreſin confirmaverit, vult Auguſtinus de hæreſibus c. 69. & Natal. Alexander l. c. P. 1. p. 31.

§. 7.

Faciendi autem Schiſmatis iſtæc fertur fuiſſe occaſio. Morabatur nimirum Anno Chriſti CCCVI. Lucilla qvædam mulier Hiſpana præpotens & factioſa Carthagine, qvæ ante concuſſam perſecutionis turbinibus pacem, dum tranqvillus adhuc foret Eccleſiæ ſtatus, à Cæciliānô Carthaginenſis Eccleſiæ Archidiacono teprehenſa, qvod ante ſacram communionem os cujusdam hominis mortui etſi Martyris, ſed nondum vindicati ſuperſtitioſis oſculis veneraretur, correptionem non ferens cum confuſione irata diſceſſit. Forte accidit, ut Menſurius, Carthaginenſis tunc Epiſcopus, à Maxentio Romam evocaretur propterea, qvod Felicem Diaconum famoſæ contra dictum Tyrannum Epiſtolæ Autorem apud ſe occultaſſet, & Senioribus Eccleſiæ vaſa & ornamenta commendaret, cui interea mortuo, Cœcilianus ſufficiebatur, qvi cum à Senioribus iſtis depoſitum Sacrum repeteret, hi communionem ejus averſati ſunt; hisqve ſe Lucilla conjunxit cum Botro & Cæleſio, qvi eundem Epiſcopatum ambierant, & ſpe ſuâ fuerant dejecti. Sic tribus convenientibus cauſis diverſisqve perſonis ingens Schiſma conflatum eſt, qvod confuſæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit.

§. 8.

Ut autem Schiſmati ſuo colorem aliqvem obducerent, vitioſam eſſe Cœciliani ordinationem confinxerunt, & Felicem Aptungitanum ejus ordinatorem & Cœcilianum

num ipſum traditionis accuſarunt, qvod in perſecutione, qvæ ſub Maximiano & Dioclet. Imper. acciderat, ſacros codices hoſtibus fidei & Idololatris Chriſtianos perſeqventibus comburendos tradidiſſent, & Cæcilianum qvidem Confeſſoribus in carcere conſtitutis, victum afferri prohibuiſſe calumniati ſunt. Exinde Secundum Tigiſitanum Numidiæ Primatem Traditorum Principem cum aliis ejusdem notæ Epiſcopis Carthaginem convocarunt, qvi Majorinum (fuerat is Lector in Diaconio Cœciliani, Domeſticus Lucillæ) in Sedem Carthaginenſem intruſerunt, damnato priùs Cæcilianô in Conciliabulô 70. Epiſcoporum, qui traditionis crimine infames & à Lucilla muneribus redempti erant. Hæc Schiſmatis occaſio & initia referente Opt. Milevitano, contra Parm. l. I. pag. 18, 19, 20. & ex eo Natal. Alexandr. Hiſt. Eccleſ. Sec. 4. P. 1. Cap. 3. artic. 1. pag. 30, 31.

§. 9.

Parum autem profecturos ſeſe, contra Cæcilianum videbant Schiſmatici, eò, qvòd Eccleſiæ Romanæ communione junctus eſſet, prætereà qvoq; Conſtantino M. gratiſſimus, qvapropter id omni annitebantur ſtudio, ſuas ut in partes Imperatorem pertraherent, cui etiam tum in Galliis agenti hác fini per Anulinum Africæ Procoſ. libellos ſuos Cæciliano oppoſitos transmiſerunt, ſupplices ſimul Imperatorem rogantes, ut è Gallia judices de contentionibus, qvæ ipſis cum Catholicis intercederent, decreturos ipſis daret. Lectis Donatiſtarum libellis ſubiracundè Cæſar reſpondit: *Petitis a me in ſeculô judicium, cùm ego ipſe Chriſti judicium exſpectem.* Dedit tamen Judices Imperator, Maternum Agrippinenſem, Rheticium Auguſtodunenſem, Marinum Arelatenſem, qui cum Melchiade & aliis Epiſcopis Italis ab ipſo deligendis cauſam Cæciliani

judi-

judicarent, quod jure fecisse Constant. probat Nat. Alex. Dissert. 5. Sec. 4 p. 24. usqve 41. Damnati cum Principe suo Donatô à Casis Nigris, in Conciliô Romano Anno CCCXIII ad Imperatorem Constantinum provocaverunt. Quâ de appellatione vid. Optat. Milev. l. 1. & August. 162. Cùm itaque Donatistæ adversus Melchiadis & Romanæ Synodi judicium expostulassent, Arelate Constantinus Synodum indixit, de quâ vid. Natal. Alex. Hist. Eccles. Sec. 4. C. 3. §. 10. p. 58. Damnati iterum in illâ sunt Donatistæ, Cæcilianus absolutus est: ne sic qvidem qvievere, sed iterum Constantinum appellarunt, à qvo Romam primum, dein Mediolanum venire jussi, ibi postremò damnati sunt. Cùm vero toties caussa cecidissent, tandem ipsum Constantinum corruptum esse, calumniabantur.

§. 10.

Nec verò ut in velabro olearii, ita & Donatistæ ad unum omnes id agebant, ut servatô arctissimo concordiæ vinculo, id tantum observarent, quod è re suâ esse videretur, sed in diversas mox ivêre partes. Anno qvippe Christi 344. Pontifice Siricio, imperatore Theodosio, cum obiisset Parmenianus, tertius (placet enim nobis Natal. Alexandri hypothesis) Donatistarum Episcopus, in ejus locum ab ipsis suffectus est Primianus, adversus qvem postea ab aliis Donatistis creatus est Maximianus Diaconus, sicqve ingens inter eos conflatum est Schisma, ut alii Primianistæ, alii Maximianistæ dicerentur; Prævaluit tamen Priminiani factio, dum Maximianistæ Catholicorum mentiti nomen, tum apud Imperatorem, tum apud Proconsules illos facilè exstirpabant. Deniqve post multum temporis Maximianistas suis restitutos honoribus susceperunt Primianistæ. Et hoc qvidem maximum fuit eorum Schisma. Fit præter hoc etiam Schismatis Rogatistarum

ſtarum paſſim in hiſtoria Eccleſiaſticâ mentio, nec non Claudianiſtarum, qvæ inter Donatiſtas exorta in ipſà tamen herbâ ſopita fuiſſe videntur. vid. de his Natal. Alex. H. E. Sec. IV. P. 1. p. 48. ſeq.

§. II.

Cæterum perſvadere mihi non poſſum, ut Danæo hîc aſſentiar, qvi Circumcelliones qvoqve Schiſma à Donatiſtis feciſſe inqvit: Sic enim ille ad Auguſt. L. de hæreſ. C. LXIX. annot. 3. p. 322. *Multæ fuerunt in ſecta & cætu Donatiſtarum Schiſmata. Alii enim Rogatiſtæ dicti ſunt: alii Maximianiſtæ, illi à Rogato & Rogatiano, hi vero à Maximiano: alii Circumcelliones --- alii Parmenianiſtæ: alii vero Cirtenſes* (vid. de his Natal. Alex. l. c. p. 53.) Contrarium enim patet ex Phil. Prior. loc. ſupra cit. §. 5. ubi *Circumcelliones*, inqvit, *erant Sectæ Donatiſtarum acerrimi defenſores, ſeu potius Graſſatores, --- qvos cæteri Donatiſtæ, ubi mortem ſibi ipſis conſciverant, peſſimâ illâ vitâ functos, maximis proſeqvebantur honoribus ac martyrum loco habebant*, eosdem qvoq; Donatiſtarum Primipilos vocat Botſacc. Moral. Ged. voc. Circumcell. Schiſma igitur à Donatiſtis feciſſe non putandi ſunt, qvi omnium in genere Donatiſtarũ acerrimi erant defenſores & Anteſignani, qvosve illi ob egregia ſua (ſi Diis placet,) facinora ingentib9 proſeqvebãtur honorib9. Nec enim Syncretiſmum qvendam inter Donatiſtas obtinuiſſe opineris, ut nimirum ſeſe diſſidentes mutuò tolerarent, communibus tamen Catholicos debellarent armis. Contrarium qvippe apparet ex Primianiſtarum & Maximianiſtarum Schiſmate, illi enim contra hos ea omnia præſtitere, qvæ Donatiſtæ aliàs contra Catholicos unqvam exercuere facinora, ſicq; ſuis ipſorum ſeſe telis confodiebant. Vid. Nat. Alex. l. ſuprà cit. p. 50. Et, nî fallor, Danæus ut inter Donatiſtarum Schiſmata reliqva referret, etiam Cir-

cumcellionum factionem, inductus fuit illis Augustini verbis, qvæ mox illa, qvibus fecerat mentionem Circumcellionum Augustissimus Hipponensium Pater, & in qvæ commentatur Danæus, conseqvuntur, illa vero sunt hæc: *Veruntamen plerisqve Donatistarum displicent tales, nec eorum communione contaminari se putant, qvi Christiano orbi dementes objiciunt ignotorum crimen Afrorum.* Hæc, inqvam, Augustini verba Danæum movisse existimaverim, ut Circumcellionum peculiarem qvandam & à cæteris Donatistis Schismaticam existimaverit fuisse factionem. Verum nulla in istis Schismatis mentio, licet enim innuat D. Augustinus ipsos Donatistas ab immanissimis illis abhorruisse criminibus, qvæ patrabant Circumcelliones nobis infrà dispiciendis, præprimis nefanda αὐτοχειρία, qvæ reliqvis Donatistis non adeò solennis erat, licèt nec omninò illâ abstinebant, ideò tamen Schisma fecisse non dicendi sunt. Adde præterea antecedentia & conseqventia Augustini verba, nec enim solum ad hanc (Donatistarum) hæresin in Africâ & illos *pertinere* dicit, qvi appellantur Circumcelliones, sed post horum factam mentionem Schismata demum inter Donatistas facta recenset, loco citato, qvibus omnino Circumcelliones addidisset, si Schismaticorum catalogo fuissent accensendi; qvæ nos §. præced. tetigimus.

§. 12.

Remota sic Danæi sententia, dicimus, fuisse Circumcelliones colluviem pessimi generis hominum, qvi nefandis hinc inde perpetratis facinoribus, qvibus mortem plus semel meruerant, Schismaticis sese aggregabant Donatistis eorumqve subscribebant Erroribus, ut non solùm gladio Magistratus vindici sese subducerent, sed & impunitatem qvorumvis scelerum posthâc perpetrandorum obtinerent,

tinerent, qvô fine etiam pessima qvæqve flagitia specioso virtutis heroicæ velabant titulo. Cui assertioni nostræ non exiguam fœnerabitur lucem locus ille Optat. Milevit. L. 3. p. 70. *A nobis inqvit Catholicis petitum esse militem dicitis; si ita est qvare in provincia proconsulari (Carthaginensi) tunc nullus armatum militem vidit? veniebant Paulus & Macarius, qvi pauperes ubiqve dispungerent*, (i. e. *ut ipsa paupertas, qvæ gravissimum vel sola onus, dispungeretur*, inqvit in h. l. Mericus Casaub.) *& ad unitatem singulos adhortarentur, & cum Bagajensem civitatem proximarent, tunc alter Donatus ejusdem civitatis Episcopus impedimentum unitati & obicem venientibus suprà memoratis opponere cupiens (præcones per vicina loca & per omnes nundinas misit, Circumcelliones Agnosticos nuncupans, ad prædictum locum ut concurrerent*, invitavit (ita enim & rectè h. l. distingvit Mer. Casaubonus & pro Agnosticis substituit Agonisticos Philipp. Prior: confer. suprà §. 4.) *& eorum illo tempore concursus est flagitatus, qvorum dementia paulo antè ab ipsis Episcopis impiè videbatur esse succensa. Nam cùm hujusmodi genus hominum ante unitatem per loca singula vagaretur, cùm Maxido & Fasir ab ipsis insanientibus Sanctorum Duces appellarentur, nulli licuit securum esse in possessionibus suis, debitorum Chirographa amiserant vires, nullus creditor illo tempore exigendi habebat libertatem, terrebantur omnes literis eorum, qvi se sanctorum Duces fuisse jactabant. Etsi in obtemperando eorum jussionibus tardaretur, advolabat subitò multitudo insana & præcedente terrore Creditores periculis vallabantur, ut qvi pro præstitis suis rogari meruerant, metu mortis humiles impellerentur in preces. Festinabat unusqvisqve debita etiam maxima perdere, & lucrum computabatur evasisse ab eorum injuriis. Etiam itinera non poterant esse tutissima. Qvot Domini de vehiculis suis excussi*

 ante

ante mancipia sua dominorum locis sedentia serviliter cucurrerunt. Illorum judicio & imperio inter Dominos & servos conditio mutabatur. Huc usqve Optatus facinora Circumcellionum enumerat.

§. 13.

Ita nimirum Hebræorum illud Proverbium est veriverbium : מרשעים יבא רשע nec à pessimis his qvidpiam boni vel exspectari poterat, vel etiam perpetrari: En qvanta horum rabies referente Augustin. ad Victorian. Epist. 122. *Ecce in Regione nostra Hipponensi, qvoniam eam barbari non attigerunt, Clericorum, Donatistarum & Circumcellionum latrocinia sic vastant Ecclesias, ut Barbarorum fortasse facta mitiora sint. Qvis enim barbarus excogitasse potuit, qvod isti, ut in clericorum nostrorum oculos calcem & acetum mitterent, qvorũ membra etiam cætera plagis horrendis vulneribusqve sauciarunt: Deprædantur etiam domos aliqvas & incendunt, fructus aridos diripiunt, humidos fundunt: Plangenda sunt hæc cit.* Baron. Tom. 5. Annal. ad A. C. 410. §. LIII. p. 339. &: *Macrobius Episcopus Donatistarum Dux Circumcellionum stipatus cuneis perditorum utriusqve sexus hâc atqve illâc circumiit aperuitqve basilicas, qvas Possessorum qvantuluscunqve timor clauserat. Cum ipso etiam est ille Donatus Diaconus rebaptizatus, qui cum fuerit Colonus Ecclesiæ, versatus est in illâ cæde præcipuus* Aug. Epist. 158. cit. Baron. l. c. p. 374. Et Epist. 68. Aug. *Conclericos nostros plagis immanissimis qvassaverunt Circumcelliones, laicis qvoq; & plagas gravissimas inflixerunt, & intulerunt eorum ædificiis incendia: Presbyterum etiam qvendam, qvia propriâ & liberâ voluntate unitatem nostræ communionis elegit de domo suâ raptum, & pro arbitrio immaniter cæsum, in gurgite etiam cœnoso volutatum burda vestitum, cum qvibusdam dolendum, qvibusdam ridendum in pompâ sui facinoris ostentassent,*

tassent, abductum inde qvo voluerunt, vix post dies 12. dimiserunt: & ibidem: *vos dicitis pati persecutionem, & oculi nostri ab armatis vestris calce & aceto exstingvuntur:* cit. Natal. Alex. Sec. 4. P. 1. p. 45. ô inhumanos homines! qvis non è saxo & duro robore natos istos fuisse putet, qvi adeò omnem exsuere potuerunt humanitatem?

§. 14.

Qvid verò in tantâ Circumcellionum rabie fecit Augustinus? Is, qvamdiu aliqva spes fuit, id genus hominum rationibus posse convinci, non modò indefessam navabat operam cùm verbis, tum scriptis, ut eos ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem perduceret; sed & perpetuò pro maleficis istis apud eos intercedebat, penes qvos jus esset de ipsis pœnas sumendi justissimas. Sic enim Epistola 169. ad Marcellin: *Circumcelliones illos & clericos partis Donati, qvos de Hipponensi Ecclesiâ ad judicium pro factis eorum publicæ disciplinæ cura deduxerat, à Tua nobilitate comperi auditos, & plurimos eorum de homicidio, qvod in Restitutum catholicum Presbyterum commiserunt & de cæde Innocentii alterius catholici Presbyteri, atqve de oculo ejus effosso & de digito præciso fuisse confessos. Unde mihi solicitudo maxima incussa est, ne forte sublimitas tua censeat eos tanta legum severitate plectendos, ut qvalia fecerunt, talia patiantur. Ideoqve his literis obtestor fidem tuam, qvam habes in Christo per ipsius Domini misericordiam, ut ne hoc facias, nec fieri omninò permittas* cit. Baron. A. C. 412. p. 374. & A. C. 398. p. 57. Circumcelliones contrà aliqvoties vias armati adversus Famulum Dei Augustinum obsederunt, dumqve fortè iret rogatus ad visitandas & cohortandas Catholicas plebes, qvod ipse freqventissimè faciebat, & aliqvando cum easdem tetendissent ipsi insidias, evenit singulari Dei providentia, ut ductoris hominis errore, per aliam vi-

am

am cum suis comitibus, qvàm qvò tendebat, venisset, atqve per hunc, qvem posteà cognovit errorem, manus impias evasisset? & cùm in omnibus liberatori Deo gratias egisset, illi omninò suô more, nec clericis nec Laicis pepercerunt &c. Possidius in vitâ Augustini cap. 12. cit. Baron, Annal. Tom. 5. p. 58.

§. 15.

Nec verò hæc contenti patrâsse facinora Donatistarum Circumcelliones, sacrilegas in ipsa sacra conjecere manus, in basilicas contra importunitatem eorum clausas irruerunt ascensisqve culminibus & nudatis tectis tegulas in supplices, qvi ad altaria (â qvibus supplices abstrahere, grande nefas habebatur ipsis gentilibus) confugerant, jactabant qvibus plurimi cruentati aliqvi occisi sunt; Eucharistiam canibus projicientes Optat. Mil. L. 2. Altaria evertentes, vel minimùm abradentes ceu à Catholicis violata, calices sacros frangentes & conflantes, & promiscuè vendentes, velamina, Instrumenta Sacra, Codices & pallas ceu â Catholicis profanatas purificantes, nec in vivos tantum, sed in defunctos etiam catholicos sævientes, eosdemqve communi sepulturæ loco in coemeteriis arcentes. Idem L. 6. &c. Ex qvibus abundè patet, qvanta istorum hominum fuerit potentia, qvantæ in Catholicos sub Juliano præprimis Apostata, injuriæ, qvanti persecutionum turbines, tam vexatissimam aliàs undeqvaqve afflixerint Ecclesiam.

§. 16.

Qvid autem? siccine Diabolo prorsus sæviendi concessa libertas? Adeóne Deus Ecclesiæ suæ factus est immemor, ut effrenem hanc sævitiem diutius impunè ferre potuerit? Minimè verò. Postqvam enim ingravescebant ipsorum tumultus, Imperatores pii edicta contra Schismaticos promulgabant, qvibus abesse à civitatibus jubeban-

jubebantur Donatistæ, si Circumcelliones catholicis molestiam inferrent, juxta Baron. Annal. Eccl. Tom. 5. ad A. C. 398. p. 62. Et Constantinus quidem Magnus sententiam capitis primus in eos tulit, mox autem pœnam capitis exsilio & Basilicarum privatione, quas fisco vendicavit, commutavit Imperator. Post hunc Constans filius Exilii pœnam iteravit, à quô non nisi Juliani Apostatæ edicto revocati sunt. Iisdem mulctam 10. Librarum auri indixit Theodosius Sen. lege lata, quam Honorius & Arcadius ejus Filii renovarunt, cujus meminit Augustinus Ep. 50. ad Bonifac. Et Lib. 3. contra Crescon. c. 43. 44. En verba Edicti Impp. Honorii & Arcadii: *Clerici Ministrique eorum* (Donatistarum) *ablati de Africano solo, quod ritu sacrilego polluerunt, in Exsilium viritim ad singulas quasque regiones sub idoneâ persecutione mittantur. Ecclesiis eorum vel conventiculis prædiisque (si qua in Ecclesias eorum hæreticorum largitas prava contulit) proprietati potestatique Catholicæ vindicatis.* cit. Baron. l. c. p. 373. Aliud Edictum Honorii & Arcadii præmittit Albaspinæus Editioni Optati Milevitani. Severissimas tandem leges in eos cæterosque Hæreticos tulere Theodosius & Valentinianus Impp. A. C. 428. vid. de his Nat. Al. locô sæpe cit. p. 65. usque ad 70.

§. 17.

Ubi verò legibus satis coërceri non poterant, vis circumcellionum vi subinde repellenda fuit. Cùm enim Paulus & Macarius Constantis in Africam ad sublevandam paupertatem & concordiam stabiliendam legati, (quorum §. 12. supra meminimus) à Schismaticis contumeliose haberentur ingentique fastu omnibus Schismaticis communi & munera Imperat. repudiassent & concordiæ incitamenta excussissent, & Donatus Bagajensis Circumcelliones contra legatos Imper. concitasset, Macarius ad cohiben-

dum furorem milites armatos à Silvestro (ni fallor idem est qui Taurinus dicitur Optato L. 3. p. 72.) Comite postulavit. *Is tunc ad eorum literas ire jussit militem armatum per nundinas, ubi Circumcellionum furor vagari consueverat; In loco Octavensi* (inquit Optat.) *occisi sunt plurimi, detruncati multi, quorum corpora usque in hodiernum per dealbatas aras aut mensas* (i. e. per dealbatos tumulos in aræ formam constructos, nam super Martyrum monumentis & memoriis sacra olim fiebant, quæ ut commode possent fieri, monumenta in altaris formam erigebantur. Donatistæ igitur illis Circumcellionibus, qui & in illa Macarii expeditione interierant, aras posuerant & monumenta, inquit in h. l. Albaspin.) *poterant numerari. Ex quorum numero cum aliqui in Basilicis sepeliri cœpissent, Clarius Presbyter in loco Subbulensi ab Episcopo suo coactus est, ut insepultam faceret sepulturam* (i. e. ut ab Ecclesia sepulturas illas ejiceret. Idem) *quo facto Donatistæ conquesti sunt armato milite utrorum adversarios & Ecclesiam Catholicam Macarianam dixere iisque Macariana tempora tanquam crudelia & odiosa objiciebant*, cum tamen persecutionem istam suæ ipsorum pertinaciæ debuerint, & Macarium nonnisi vim repulisse, contra eos probet Optat. Milev. L. 3. conf. Philipp. Prior. in eundem.

§. 18.

Schisma eorum mox in Hæresin evasit. Igitur Errores jam dicendi sunt Circumcellionum, quos cum Donatistis communes habuisse eos, deprehendimus, nisi quod majorem ostendere zelum, si tamen zelus dicendus est, Circumcelliones, qui uti promiscuè sese jactabant esse messores zizaniorum à Domino emissos, teste Augustino, ita nec aliis (obvios enim quosque in plateis & agris homines à suis erroribus alienos cædebant jugulabantque, & rectè se id posse contendebant juxta Danæum ad Aug. de

Hæres.

Hæres. p. 321.) nec sibi ipsis parcebant, sed instinctu plusquam bellvinô (Et quæ bellua tam est immanis ut proprios in artus desæviat ?) sibimet violentas vel ipsi prætextu Martyrii injiciebant manu vel percussores sibi suam in perniciem conducebant, qui omni antea deliciarum genere præpastos atque pingvefactos lethaliter vulnerarent, & si sic scopum suum minùs obtinuissent instar Corybanthum furentes & debacchantes ex altissimorum montium cacuminibus viles præcipitabant, cum corporibus animas, idque se salvâ conscientia posse docebant, sic verum se subire Martyrium existimantes, ac pessima illa vitâ functos cæteri Donatistæ maximis prosequebantur honoribus, quos *præcipitatorum ultro cadaverum cultus sacrilegos & profanos* merito dicit Aug. adversus lit. Petiliani L. 1. C. 24. cit. Baron. Annal. Eccl. Tom. 5. ad A. C. 398. p. 61. vid. etiam Theodoret. Tom. V. Opp. Lib. 4. Hæret. fabb. p. 280. Optat. Milevit. adv. Parmen. L. 3. p. 73. Phil. Prior. in h. l. p. 71. & Natal. Alex. H. E. Sec. 4. C. 3. §. 5. p. 46.

§. 19.

Præterea Ecclesiam Christi visibilem constare debere non nisi ex sanctis & nullâ labe infectis docebant cum Novationis Donatistæ, cum his Circumcelliones: unde ab omnibus & universa Ecclesia segregatos Catharosque sanctos atque perfectos se esse, à verô scelerum & rebellionis suæ sensu alieni jactabant, Enthusiasmos etiam atque speciales revelationes, ut eo plausibilia dogmata sua confirmarent, profitebantur. Quâ præconceptâ opinione omnes orientis & occidentis Ecclesias infectas pollutas ac reas esse existimabant, consequenter etiam in toto Terrarum orbe, præterquam in angulo Africæ ullum Episcopum aut Presbyterum reperiri negabant. Unde etiam Schisma eorum & sacrilega illa in orthodoxorum Templa facinora, de quibus suprà.

§. 20.

Ex eodem fœtido fonte promanavit & ille ipsorum Error, quod omnes orthodoxos, quàmvis innocentes ad pœnitentiam cogerent, eamque idololatris ac homicidis ultro etiam reluctantibus aut certè immerentibus, pueris etiam innocentibus imposuerint, juxta Albaspin. Observat. I. in Opt. Error. 10. & observ. 3. Equidem quo nixus Augustini loco Danæus p. 319. ad Aug. de Hæres. inter Errores Donatistarum referat, hunc quod statuerint: *Neminem ad bene vivendum esse compellendum urgendumque, non tantùm, ne sit invita & coacta pietas & obedientia Dei; sed ut libera & effrenis sit vitiorum Errorumque omnium licentia. sec. Augustin.* non facilè divinavero, quam quidem assertionem uti Albaspinæo è diametro esse contrariam videmus & Angelicæ illi sanctitati, quam jactabant, adversari fatetur ipse Danæus, ita nec in Optato, nec in Augustino ullum hujus erroris vestigium invenire licuit, quod quidem, si mihi suppeditetur, Donatistas tantùm initio Schismatis ad pœnitentiam coëgisse, facilè concessero, posthac vero neminem ad bene vivendum esse compellendum censuisse.

§. 21.

Quam indignè Magistratum hæretici hi tractaverint, ex nefandis, quas contra eum evomuere, vocibus lupos & pestes Ecclesiæ eos appellitando apparet, unde & Hæreticos Magistratus autoritate coërcendos negarunt.

§. 22.

Sacramentorum efficaciam ex Ministri illa administrantis sanctitate & fide metiendam esse, non verò ex instituentis Dei promissione & Spiritus S. ἐνεργεία dependere docebant, unde Baptismum ab impio Ministro administratum impium esse & pollutum docebant.

§. 23.

§. 23.

Ex hâc hypothesi ille fluebat Error, quòd à Catholicis baptizatos rebaptizarent, quia eos ceu à Traditoribus & malis Ministris tinctos pro non baptizatis haberent, de quo sic August. *Ecce in Regione nostra Hipponensi quoniam eam barbari non attigerunt, Clericorum Donatistarum & Circumcellionum latrocinia sic vastant Ecclesias ut Barbarorum fortasse facta mitiora sint.* - - (quæ intercedant hîc vid. §. 13. suprà) *fructus aridos diripiunt, humidos fundunt & talia cæteris comminando, multos etiam rebaptizari compellunt. Pridie quam ista ad Te dictarem, ex uno loco per hujusmodi terrores 48. animæ rebaptizatæ mihi nunciatæ sunt.* Ad Victoriam. Ep. 122. cit. Baron. Quamvis enim Donatistæ alias cum orthodoxis unum tantum esse baptisma mordicus tenerent, juxta Albaspin. baptizandi tamen vim hæreticis & Idololatris, (hoc ipsis nomine veniebant orthodoxi) denegabant, unde Baptismum à Catholico Ministro administratum pro irrito reputabant. Nec enim Rebaptizationem à Donatistis inventam, sed ceu dogma à divo Cypriano invectum, ab ipsis penes quos tantæ existimationis erat ille Vir, ut quicquid docuerat pro regula fidei haberetur, retentam fuisse notat Albaspin. observ. 1. ad Opt. Err. 4. Errorem hunc Augustinus Libr. 6. de unico baptismate refutavit, Cyprianum tamen postea ejurasse perversam illam opinionem, suspicatur idem Libr. 5. de Baptism. contra Donatistas, illudque etiam putat S. Hieron. Ep. 48. & Dialogo contra Luciferianos. Ita enim inquit Cyprianus Ep. 3. *Baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ, & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumet accedere.* Eorum verò Exemplo, qui formæ Baptisma constituentis defectu baptizati, pòst rebaptizati fuerant (vid. August. de fide ad Petrum c. 3.) Cyprianum & Firmi-

lianum, qui hæreticos & schismaticos omnes censuerunt rebaptizandos transversum actos opinatur Phil. Prior. ad Opt. p. 97. In altero quoque Donatistarum Concilio sub Donato Pseudo-Episcopo Carthaginensi habito Traditores Donatistarum suffragio ad communionem recepti sunt, etiamsi rebaptizari nollent sec. Natal. Al. H. E. P. 1. p. 55.

§. 24.

Præter hos errores Donatus Carthaginensis Ariana hæresi infectus fuit, teste Augustino Libr. de hæres. ad QuodvultDeum. C. 69. p. 314. *Exstant*, inquit, *Scripta ejus* (loquitur de Donato Carthaginensi Episcopo) *ubi apparet eum etiam non Catholicam de Trinitate habuisse sententiam: sed quamvis ejusdem substantiæ, minorem tamen Patre filium & minorem filio putasse Spiritum Sanctum. Verum in hunc, quem de Trinitate habuit, errorem Donatistarum multitudo intenta non fuit, nec facile in eis quisquam, qui hoc illum sensisse noverit, invenitur.* Eundem de Trinitate errorem inter Donatistarum & Circumcellionum Errores auditum fuisse, cum Augustino negat Philipp. Prior. ad Opt. L. 3. p. 73. Quis jam non miretur Danæum in Augustinum de hæresibus commentantem nihilominus asserere *Donatistas Arianis consentire, dum filium Patre minorem faciant, & filio Spiritum S. subjiciant*, magis Theodoreti motum autoritate, qui Libro IV. Hæret. fabularum Tom. 2. Opp. p. 280. *Donatistæ*, inquit, *in hæresi cum Arianis conveniunt*, quàm disertis his Augustini verbis, & quamvis Donatum Carthaginensem Synodo Sardicensi Arrianæ interfuisse prodat August. L. 3. contra Crescon. C. 34. Arrianæ tamen Hæresi Donati asseclas addictos fuisse hinc nondum sequitur.

§. 25.

Et hæc sunt præcipua Errorum Capita, quibus Donati-

natiſtarum Circumcelliones laborarunt, ad quos cæteri vel revocari commodè poterunt, vel inter Errores non ab Eccleſiâ purè orthodoxâ, ſed prout Papiſticis inquinata eſt abuſibus, referuntur, qualis e. g. ille eſt, quòd Monachorum ſtatum vitamque improbaverint, Nat. Alex. P. I. H. E. p. 47. Ad quos tamen ipſorum Errores non ſiluiſſe putandi ſunt, Doctores orthodoxi, ſed primo quidem Optatus Milevitanus Libris 7. (ſi quidem ſeptimus illi eſt adſcribendus) & poſt hunc Auguſtinus plurimis ſcriptis, quorum Catalogum recenſet Nat. Alex. H. E. Sec. 4. p. 80. 81. 82. 83. eos & ſtrenuè impugnarunt & feliciter confutarunt.

§. 26.

Non tamen ſtatim ſævire deſiit furioſa hæreticorum cohors, quandoquidem etiam Tiberii ſecundi Imp. Conſtantinop. ætate adeoque usque ſeculi VI. finem ſuperfuit, & ſuo ſeculo, hoc eſt eôdem multos adhuc ſuperſtites fuiſſe Donatiſtas, fidem faciant Epiſtolæ Gregorii M. Libro enim 3. Epiſt. 32. ad Pantaleonem Africæ Præfectum: *In illis*, ſcribit, *partibus, quantum didicimus, ita Donatiſtarum crevit audacia, ut non ſolùm de ſuis Eccleſiis autoritate peſtifera ejiciant Catholicæ fidei Sacerdotes, ſed & quos verâ Confesſione aquâ regenerationis abluerat, rebaptizare non metuunt* cit. Nat. Alex. Sec. 4. P. I. p. 83. 84. Deſiiſſe jam dicere posſemus ſectam Circumcellionum, niſi & ſuperiori ſeculo quidam Anabaptiſtæ eodem furore correpti fuiſſent. De quibus tamen hic agere inſtituti noſtri ratio non permittit.

§. 27.

Et hæc ſunto, quæ impræſentiarum de Circumcellionibus diſſerere pro exiguo ingenii noſtri modulo potuimus. Tuæ interea L. B. ſi exſpectationi non ex aſſe omnia reſponderint, veniam nihilominùs largieris, Tibi iſthôc

hôc

hôc vel aliò de argumento a
lubenter utramque daturis
concessis his clement

θεῷ πισα

COROI

I.

Ad utilitatem securita
privatarum ædium, muniti
expedit.

2

Asyla Levitica moder
patrocinantur.

Legitimus mercatura
utilis, sed etiam honestus &

4

Non minor est virtus

5

Missæ à voce מְצֻוִּים
tùm allusiva.

Hæretici si non sint se
mi, capitali supplicio afficie

7

Rectè Jacobus I. Δώρ
tia majestate non imminui,
us dicit, quantò is qui pec

nento accuratiùs fortaſſis diſſerturo
e daturis aurem. Nos interea pro
clementer viribus, reddimus

...εισαγίῳ Δόξαν.

...ROLLARIA.

I.

...ſecuritatem & tutelam Civitatis &, ..., munitiones firmiſſimas exſtruere

2.

...a modernis illis Pontificiorum non

3.

...ercaturæ uſus non modò civitati eſt ...neſtus & neceſſarius.

4.

...ſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

5.

... מְאוֹזִין Dan. 11. 38. derivatio eſt tan-

6.

...n ſint ſeditioſi & manifeſtè blaſphe-...o afficiendi non ſunt.

7.

...us I. Δώρ. βασιλ. ad Henr. Fil. P. 1. vi-...nminui, ſed tantò exaggerari gravi-... qui peccat alios dignitate antecellit,

(o)